

Letter 486: 7 August 1532, Strasbourg, Capito to Johannes Schwebel

Printed in QGT 7:547, no. 332.

Wolfgangus Capito erudito ac pio viro, domino Iohanni Schwebelio Bipontii evangelistam agenti, domino ac fratri suo observando.

Gratiam et pacem in Domino, frater. Tristem accepimus nuncium, Georgium, quem symmystam te petente hinc submisimus, factum antagonistam, et nunc vos disceptare baptismi rixosam multis materiam. Oro te, prudentior imperitioris admissa leviora condones; rumusculi vaniores in illum inclamant, in te congruunt solida iudicia; precor dominum: audiamus aliquando idem sapere utrinque. Memineris, amabo te, quod in Apologia subinde Philippus ad Caesarem inculcat: “Horribilis,” inquit, “oratio est, tantundem tribuere operi¹ sacerdotis, quantum morti Christi;” “Nec remissio culpae aliter accipi potest nisi fide;” rursus, rem perituram ad immortalem gratiam non attinere. Hinc facile colliges, externum usum signorum opus dei esse, si in opere deus est, quod vel ante, vel post, vel cum ipso opere contingit.

Nulli tempori obnoxius est Deus: externus baptismus necessarius est, ubi mysterium et opus dei includitur. Sine enim mortificatione carnis et vita spiritus quid est dictus Christianus? Ergo si affirmasti necessitatem baptismi, sic explicabis ut consentiat Georgius. Deinde uterque dicat aspernantibus institutum externum, istud fastidium fraudi esse, nec intelligere te, quae sit pietas, quae secludat sejuncta pietatis; atqui non esse controversiam inter vos super justificatione, quam uterque uni tribuat fidei in Christum Iesum. Non vacat pluribus, committo tuae prudentiae ac pietati. Tantum efficias, pax et concordia servetur tuque potior infirmiori cedas aliquantisper de via, donec sibi reddantur oculi. Considera quam miseri iactemur turbidis affectibus, et istud onus fraternitatis feras, profuturum ad aeternam gloriam. Haec boni ut soles, consules. In Turcam fortissima manus cogitur: optandum est, ut poenitentia acta, remissionem peccatorum adepti, inveniamur idonei, quibus Deus victoriam largiatur. Vale. 7 Augusti 1532.

¹ Corrected from “uxori”.